Prouinciæ Lusitaniæ Magisterij.

Dubia.

Primum : *An gradus Magisterij olim vacantes per obitum Patris Emanuelis ab Ascensione, Gundisalui de Crato, & Antonij à Spiritu Sancto, & collati PP. Antonio Almeida, Emanueli Matris Dei, & Emanueli de Sena substineantur, & quatenùs negatiuè.*

Secundum: *An vnus, & quinàm ex ijsdem gradibus sit conferendus Patri Didaco à Sancto Iosepho, in Casu &c.*

Expositio facti necessarij ad causam.

Eme, & Rme Dne. INcidimus in mala tempora; Quippè nedùm gens insurgit contra gentem, sed filij Patriam potestatem impugnant, & Regulares ipsi, non armis iustitiæ (his enìm plerumque carent in Facto, & in Iure) sed aereis, seù emendicatis prætextibus, Superiores suos ad Romana Tribunalia trahentes, frequentèr nimium prouocant ad certamen; quod mirificè liquet in eo, quod Pater Didacus à Sancto Iosepho Ordinis Prædicatorum Lusitaniæ Prouinciæ, contra suum Reuerendissimum Generalem, & munificentissimum Patrem coram hac Sacra Congregatione, intentare conatur in hac Lite, cuius factum ità se habet.

Vacauerat Anno 1693. Prouincialatus Portugalliæ, Ordinis Prædicatorum, qua de re conuocati Vocales mense Aprilis in Conuentu de Bello pro noui Prouincialis Electione, non vnam, & vnanimem, vt par erat, sed binam Electionem in duas factiones schismaticè diuisi, fecerunt; Vnam scilicèt, in Personam Fratris Emanuelis Velosij, & alteram in Personam Patris Magistri Emanuelis ab Ascensione; hac autem occasione non tota illa Prouincia, vt malè asseritur exaduerso, & apertè constat ex Mandato Procuræ; Sed dumtaxàt portio illius, quæ Patrem Velosium elegerat pro substinenda Electione huiusmodi, dictum Patrem Didacum à Sancto Iosepho Aduersarium, tunc temporis Vllysipone Lectorem Artium, *Summario Num. Primo*, Procuratorem misit ad Vrbem; infausto tamèn euentu; Nàm re ad hanc Sacram Congregationem delata, vtraque ex memoratis Electionibus cassata fuit, iniuncta noua conuocatione Capituli; qua secuta, die 21. Augu-

A sti

ſti 1694., cum aſſiſtentia Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Nuncij Apoſtolici, concordi fermè ſuffragio, electus fuit in Prouincialem Pater Magiſter Frater Emanuel Maſcharenhas.

Cumque intermedio tempore, menſe videlicèt Maij Anni prędicti 1694., celebrandum foret Romæ Capitulum Generale Prouincialium, nèc eſſet pro Luſitania Prouincialis electus, qui ad illud conueniret; dictus Pater Didacus Aduerſarius, qui adhùc Romæ degebat, non vti conſtitutus Definitor à Capitulo Prouinciali, ſed loco Prouincialis in eodem Capitulo, ex ſpeciali Indulto definiuit, *Summario Num.2*,

Et ſicuti non ſubſiſtit hoc factum, ità, nèc etiàm ſubſiſtit aliud, quod paritèr ſupponitur, in eo conſiſtens, quod dictus Pater Didacus ad petitionem ſuæ Prouinciæ in præfato Capitulo Generali inſtitutus fuerit Baccalaureus, quod idem eſt, ac Præſentatus; Etenìm tale quid, nequè in Actis eiuſdem Capituli in contrarium allegatis reperitur, nequè in regeſtris Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Generalis, nèc in litteris Patentibus pro eodem gradu in fauorem dicti Patris Didaci poſteà expeditis, vllum prædictæ petitionis habetur veſtigium; immò in Actis dicti Capituli Generalis fidelitèr relatis, *dicto Summario Nu.1.*, non nominatur dictus Aduerſarius, niſi vbi inter Definitores, *ex ſpeciali Indulto* admiſſo, recenſetur.

Quidquid in oppoſitum teſtetur Pater Saluator Aſcanius, forsàn rei immemor, vel in hoc haud fide dignus, cum ſimilibus atteſtationibus Acta ſemper præualere debeant, vltra quod illa aſſerta Luſitaniæ Prouinciæ petitio, nonniſi per ipſum Patrem Didacum fieri debuiſſet, quo caſu vti facta pro ſemetipſo à Definitore Capituli Generalis, irrita remanſiſſet, ac nulla, *Summario Num.3*,

Verumtamèn dictum gradum Baccalaureatus, ſeù Præſentaturæ, quem Pater Didacus non obtinuit, nequè obtinere poterat, reportauit 4. Iulij dicti Anni 1694., & ſic paulò poſt à profuſa nimis ſui Generalis, & pluſquàm Patris largitate, iniuncto tamèn onere in litteris Patentibus = *adimplendi omnia ea munera, & exercitia Scholaſtica, quæ ſecundum Leges, & Prouinciæ conſuetudinem prærequiſita ſunt, itaùt, niſi per octo Annos Theologiam Scholaſticam perlegerit, nullum poſſit habere Ius ad gradum Magiſterij, Summario Num.4.*, quem poſteà Annorum numerum, idem Pater Generalis, gratiam addens ſupra gratiam die 5. Decembris dicti Anni in quarta parte diminuit, vt in *exaduerſo Summario Num.3*,

Cumu-

Cumulatus talibus gratijs Pater Didacus redijt ad Portugalliam, vbi à suo Patre Prouinciali institutus Lector primarius Theologiæ in Vllysiponensi Collegio, eiusdem lecturæ Possessionem cæpit die 23. Octobris 1695., vt in *exaduerso Summario Num.6., & 7.*, verùm qui manum miserat ad aratrum, citiùs æquo respexit retro; Nàm die 2. Aprilis 1698. iterùm discedens à sua Prouincia, & assumptam lecturam deserens, Romam venit, *dicto Summario Num. Primo littera B., & Num.5. & 6.*; Sed ad quem finem ignoratur?, hoc vnum, quod ipse nonnisi 28. Iunij sequentis Anni 1699. Vllysiponem redijt, vbi desertam Theologiæ lecturam, vt asseritur, reassumens, illam die 14. Septembris 1700. omninò terminauit, *dicto Summario Num. Primo littera C.*

Successiuè idem Pater Didacus Aduersarius ad Gubernium Conuentus Eborensis assumptus fuit; Sed vtinàm non fuisset; vt enìm mihi probatur Subditos opprimens, non tamquàm Prior, sed tamquàm destructor, & dissipator in Spiritualibus, & Temporalibus se gessit, Conuentum ingenti ære alieno grauando, pluribusque damnis subijciendo, applicando sui commodo illius res, pecunias, & effectus, vt videre est in *Summario Num.7. & 8.*

Intereà per obitum Patris Magistri Fratris Emanuelis ab Ascensione vacauerat in Prouincia Lusitaniæ gradus Magisterij, ad quem in Capitulo Prouinciali Vllysiponæ Anno 1702. ope, & conatu Patris Magistri Fratris Ioannis Baptistæ noui Prouincialis ibidèm electi, posthabitis dignioribus, obtinuit dictus Pater Didacus (qui aliàs eiusdem Prouincialis fuerat Discipulus) postulari, *Summario contrario Num.9.* Sed contra talem postulationem, optimis motiuis omnes conclamauere, *Summario Num.9.*

Qua de re, vt idem Pater Didacus Magisterium consequeretur pro tertia vice Romam venit 6. Augusti 1703. inutilitèr tamèn, quià inuentus minùs habens de requisitis ad talem gradum necessarijs, reiectus fuit vna cum dicta eius postulatione, quàm ex Epistolis Digniorum illius Prouinciæ Patrum, Reuerendissimus Pater Generalis insubsistentem prænouerat, *dicto Summario Num.7. & 9.*

Hoc tamèn non obstante, idem Reuerendissimus Pater Generalis pro sua singulari Charitate, & eximia munificentia, ipsummet Patrem Didacum à Sancto Iosepho, vt sibi nouis laboribus necessaria merita ad Magisterium cumularet, Regentem Studiorum instituit in Collegio Portuensi, eidemque expediuit, & consignauit litteras Patentes indicatas, *Summario Num.10.*, & hac noua gratia idem Pater

 Dida-

Didacus decoratus, & contentus, die 13. Septembris 1703. ab Vrbe discedens, in Portugalliam remeauit, vbi tamèn Prouincialis Lusitanus talem prouisionem non admisit, iudicans pro sua Conscientia inconueniens, munus illud eidem committere, ex Epistolis relatis, *Summario Num.*11.

Tametsi exaduerso supponatur in præsenti, quod dictæ litteræ fuerint transmissæ, & concedi non valuerint, ex quo nemo possit institui in Regentem, nisi sit Magister in Sacra Theologia, quia non transmissæ, sed ei consignatæ fuerunt hìc in Vrbe, & quæ exaduerso dicuntur, procedunt in Regentibus, *sinè onere docendi*, quales esse non possunt, signantèr in publicis Vniuersitatibus, nisi Magistri, vel qui tempus lecturæ, pro Magisterio assequendo, legitimè expleuerint, *dicto Summario Num.*2. *littera A.*; Secùs verò in Regentibus, *cum onere præciso docendi*, qui profectò nec debent esse Magistri, nequè lecturæ tempus compleuisse, dùm præcisè tales Regentiæ dantur ad facilitandam consecutionem gradus eiusdem Magisterij, & huius naturæ fuerunt dictæ Patentes, quæ vlteriùs respiciebant Regentiam in dicto Conuentu Portuensi, in quo loco nulla adest Vniuersitas.

Et in hoc Statu Pater Didacus pro quarta vice Romam venit, & quamuìs Reuerendissimus Pater Generalis, iuxtà Leges Ordinis, & Pontificia Diplomata, debuisset illum, qui totiès sinè opportuna licentia ad Curiam accesserat, ea saltèm occasione, nè ampliùs abuteretur tolerantia ergà eum habita, Carceribus mancipare; Attamèn eum benignè amplexus fuit, & per biennium & vltra, licèt otiosè, & sinè vlla Religiosa Disciplina in Hospitio Mineruæ, patientèr tulit, & diutiùs tulisset, nisi consideratis grauissimis expensis ab eo factis, ære forsàn illo ad eum non pertinente, vt habetur ex *dicto Summario Nu.*8. *litt.A.*, *& B.*, *& Num.*11. *litt.D.*, ex Conscientia iudicasset ampliùs permittere non posse, & sic ei discessum ab Vrbe demandare.

Id quod eidem P. Didaco, dedit motiuum contra Patrem Generalem, eiusquè litteras Patentes, quasi non adessent grauissimæ pœnæ contra inobedientes talibus litteris, vel illarum effectum impedientes, vt videre est in *Summario Num.*12., acritèr insurgendi, eum accusando tamquàm iniustum, ac continuis citationibus lacessendo, & vocando, in specie *in litem super Dubijs, quæ proponuntur in præsenti Congregatione*, à quà tamèn prò consueta Eminentissimorum Patrum integritate, in omnibus, dictus

Pater

Pater Didacus *reÿciendus* videtur, *iniuncta eidem paritione Superiori suo*.

Habito enim præoculis facto superiùs exposito, ac optimè demonstrante res hucusquè ab eo gestas, causam, & motiuum introductionis huius litis, quà dictus Pater Didacus vtitur pro Clipeo inobedientiæ, & quæ sint eius merita erga Religionem prò gradibus, & honoribus in illa, videtur vtiquè reijciendus *respectu primi Dubÿ*, in quo quæritur, An tres gradus Magisterij ibidem expressi, & collati, substineantur; Tùm quia illius disputatio cum Reuerendissimo P. Generali, *incongrua est*, *& non legalis*, tùm etiàm quià ex ijs, quæ per eum dumtaxat afferri possunt, liquidò constat *de validitate*, *& iustitia* collationum.

Quoad primum dubium.

Incongrua quidèm, *& non legalis*, dùm enìm Reuerendissimus Pater Generalis tamquàm Ordinarius Collator, certos Religiosos de Magisterijs prouidit, ipsiquè in possessione actuali reperiuntur, vniuersa approbante Prouincia, quæ in Capitulis Prouincialibus annorum 1704., & 1706. alacritèr acceptauit *Summario Num.*13., *&* 14., & concurrit etiàm Capitulum Generale hoc anno labente Bononiæ celebratum, præcisè approbatis, & acceptatis omnibus gradibus Magistrorum *Summario Num.*15., necessariò consequitur, quod, vel de subsistentia istorum Graduum dubitari ampliùs non possit, vel Reuerendissimus Pater Generalis non debeat esse illorum propugnator, sed defensio incumbat possessoribus, qui in his casibus citandi, & audiendi sunt, *Card. de Luca de Iudic. discurs.*9. *num.*34., *& de Iurisdict. disc.*2. *num.*7., *Rota coràm Gregor. decis.*105. *num.*10., quia Ordinerius collator per prouisiones factas, dicitur functus officio suo, & sibi abdicasse omne Ius, & valde exorbitans esset si contingeret dictos gradus annullari, non citatis possessoribus, qui omni Iure, & Diuino, & humano vocandi forent, iuxtà deducta per *Vbert. de Citation. cap.*1. *num.*6. *cum seqq.*, *Ridolph. in prax. part.*1. *in præfatione num.*7.

Immò nec est legitima Persona ad opponendum, idem Pater Didacus, qui alieno nomine impugnare nequit, *dùm caret mandatis*, minusquè nomine proprio, cum non liceat particulari Religioso cerebrinè similes prouisiones impugnare, & vocare Superiorem ad reddendam rationem de omnibus gestis in gradibus collatis; maximè vbi Prouincia acquieuit r & actus, proùt hìc, approbauit.

Validæ autèm, & iustæ sunt dictæ Collationes, vtpotè factæ (quidquid in contrarium idealitèr supponatur) sinè

 debi-

debitis probationibus; quæ allegantibus nullitatem incumbunt, *l. si scriptum hæredem*, & ibi *Bald. C. de probat.*, *Mascard. de probat. conclus.* 1115. *num.* 4., *Giurb. decis.* 36. *num.* 18., dùm præsumptio legis stat in oppositum, *l. quoties*, *& l. vbi ff de reb. dub.*, *Scacc. de appellat. quæst.* 2. *num.* 29., plenè *Altimar de nullitatibus Rubric.* 7. *quæst. prima num.* 24. *cum seqq.* de Viris vndequaquè emeritis; Nàm in specie *P. Antonius Almeida* vsquè ab anno 1689. ad petitionem Prouinciæ Præsentaturæ gradu fuit insignitus, & vltra triennium lectura Philosophiæ in Conuentu Vllysiponensi incubuit, nec non etiàm potitus fuit munere Magistri Studentium, deindè Lectoris Vespertini Theologiæ in Conuentu de Bello, & postmodùm lectoris Primarij in Collegio Eborensi cum his similibus; Et *P. Emanuel à Matre Dei* vsque de anno 1696. ad petitionem Prouinciæ, Præsentatura fuit decoratus, & lecturæ cursum per spatium ferè quindecim annorum communi plausu perfecerat, nimirùm vndecim sub munere Lectoris Philosophiæ, Magistri Studentium, Lectoris Vespertini Theologiæ, atquè Lectoris Primarij in Eborensi Collegio, quod inter Vniuersitates Ordinis enumeratur, & reliquos Theologiam Scholasticam legendo in Collegio Portuensi, nec super his onus assumo probationes præcisas afferendi, quià ad me non spectat data collatione iàm secuta, & effectuata, plaudente Prouincia, & si aliquid contra eosdem PP. prætenditur ipsi citandi, & audiendi erunt.

Nihil exprimendo in ordine ad *P. Emanuelem de Sena*, virum similitèr idoneum, quià nullatenùs subsistit fuisse eidem collatum Magisterium, proùt insubsistentèr asseritur,

Quoad secundum dubium.

Sic expeditus à primo Dubio de facili resoluitur *Secundum* super prætensa collatione vnius ex dictis gradibus Magisterij fauore Patris Didaci Aduersarij; Nàm si gradus sustinentur, vel super his non valet hìc, & nunc capi certa determinatio, inutilitèr ad eos, seù ad illorum alterum idem Pater Didacus anhelat, vt de se patet.

Sed dato per possibile figurata insubsistentia dictarum collationum, & quacumque vacantia Magisterij, adhùc nihil emergeret fauore Patris Didaci; aduertendo, quod juxtà leges Ordinis prò Lusitaniæ Prouincia Magisterium supponit præsentaturam, scilicèt necesse est, vt antequàm ad Gradum Magisterij, quis promoueatur, præsentatura gaudeat, ad quam tamèn Presentaturam obtinendam requiritur aliquem per quatuor annos *Theologiam legisse*, vel *munus Magi-*

Magisterij Studentium perfecisse *Summario Num.*16. Cum itaquè ipse talibus careat, & munus Magisterij Studentium nunquàm perfecerit, vt ipse fatetur, imò nec talis muneris obeundi capax esset, *dicto Summario Num.* 2. *litt.A.*, & quoad lecturam, nec Philosophicam compleuerit, vt benè deducitur, tùm ex Thesibus, quibus vltimo loco præfuit Vllysiponi, non ex tota Philosophia, sed ex tota Phisica exceptis, *dicto Summario Num.*1. *litt.A.*; Tùm ex substitutione alterius Lectoris in eadem eius lectura *Summario Num.*17.; Consequens fit, vt nullatenus dici valeat constare de requisitis necessarijs, nec etiàm ad dictum gradum Præsentaturæ, & sìc multo magis ad Magisterium.

Quin releuet, quod idem Pater, Anno 1694. fuerit Præsentatus; nàm anno sequenti 1695. san. mem. Innocentius XII. tales actus substulit de medio per eius constitutionem, qua reuocauit, cassauit, & irritauit omnes promotiones ad gradus in ordine Prædicatorum factas in personas eorum, qui laudabiliter non exercuissent, nec *compleuissent* requisita per leges eiusdem Ordinis ad illos gradus præscripta, vt admittitur, seù exprimitur in contraria informatione §. *Ad quorum tenorem*, quod respectu d. P. Didaci proximè licuit, & clariùs infra patebit.

Et est somnium, ac idea, quod dictus Pater Didacus à Capitulo Generali fuerit approbatus ad legendum *pro forma, & gradu Magisterij*; Quia, vt mihi constanter supponitur, nunquam tale, quid exaduerso demonstrabitur, & probabitur.

Minusque subsistat, quod ipse legeret in Vniuersitatibus non per quatuor annos, vt demandant Constitutiones, sed ferè per sex annos; Quia id, nec à longe probatur, & contrarium patentissimè demonstratur, ex eo, quod ipse Vllysipone lecturam assumpsit die 23. Octobris 1695. eamque terminauit die 14. Septembris 1700. *vt in exaduerso Summar. num.* 7. à quo tempore, nempè à dicta die 23. Octobris vsque ad aliam diem 14. Septembris, non effluxerunt nisi anni quatuor, menses decem, & dies viginti vnus; sed ad hoc tempore detrahi debet totum illud, in quo Aduersarius lecturam deseruit, scilicet tempus à die secunda Aprilis 1698. *dicto Summar. num.* 5. *&* 6. vsque ad 28. Iunij 1699. *dicto Summar. num.* 1. *litt. B.* & siç tollendi sunt quindecim menses, qui reducunt dictum tempus lecturæ, *ad annos tres, menses septem, & dies viginti quatuor*, quibus si addatur eius lectura Vespertina, quæ incepit die 15. Iunij 1695. nec in rigori protracta fuit vltra diem 22. Iu-

lij

lij eiusdem anni *Summar. num.* 18. tota eius Theologica lectura ad summum durauit *per spatium trium annorum, & mensium nouem*, & si deberet computari pro lectura etiam tempus à die 22. Iulij 1695. vsque ad 14. Septembris eiusdem anni, quo omninò à lectura vacauit *dicto Summar. num.* 12. adhuc semper esset verum dicere, & mathematicè demonstratum, quod integrum *quadriennium* nullatenus perfecerit, & compleuerit.

Quod benè præuidetur exaduerso: Vndè *in contrario Summar. num.* 7. Referuntur lecturæ, & plures conclusiones, in quibus ipse P. Didacus præfuit, sed in eodem numero studiosè *prętermittitur dictum tempus quindecim mensium*, in quibus lecturam deseruit, Romam veniendo, & quidquid habetur *litteris cubitalibus* postillam conclusionem sub data 23. Ianuarij 1698. ibi = *Partì per Roma* (ideſt Pater Didacus) *à di* 2. *Aprile* 1698. *e tornò à continuare à di* 28. *Giugno* 1699. *vt in dicto Summar. num.* 1. *litt. B.* & testari dignabitur pro sua benignitate Eminentissimus Ponens, in cuius manibus reperitur documentum autenticum super hoc exaduerso datum, cuius rei veritas nedùm resultat ex dicto autentico documento, sed etiam comprobatur ex Epistola relata *dicto Summar. num.* 5. ac ex attestatione illius, qui fuit socius itineris ipsiusmet P. Didaci, *eodem Summar. num.* 6,

Ergò est vndique innegabile, quod d. P. Didacus nullatenùs habet tempus lecturæ sufficiens.

Et tamen in Ordine Prędicatorum iuxtà disposita in Constitutionibus *dist.* 2. *cap.* 14. *text.* 10. vt aliquis fiat Magister in Theologia, debet prius Theologiam legisse *in aliqua Vniuersitate* per quatuor annos *ad minus*, vt refertur in contraria Informatione §. *non obstat*, quæ dictio *ad minus*, non idem sonat, ac *circiter*, sed idem significat, ac *saltem*, ideoque indicat quatuor annos debere esse integros, & completos, cum ea indole, & virtute sua omninò indcludat totum tempus, cui adijcitur, & sit implicatiua, non limitatiua; ex adductis per *Barbos. dict.* 6. *num.* 4. *& dict.* 356. *num.* 5. & confirmatur ex Constitutione san. mem. Innocentij *XII.* quæ vtitur verbis *qui laudabiliter non exercuerint, atque compleuerint requisita* = quod verbum *compleuerint*, denotat actus perfectionem, & totalem illius terminationem.

Absque eo, quod mereatur conclamari, quod dictus Pater fuerit à sua Prouincia ad gradum magisterij postulatus anno 1702. *vt in exaduerso Summar. num.* 9. nàm vtique fuit postulatus, sed postulatione inducta conatu noui Prouincia-

cialis electi, postulatione notoriè iniusta, & contrà quam omnes exclamauere, vtpotè Religiosi scientia inepti, & incapacis, atque carentis omnibus requisitis ad Magisterium *dicto Summar.num.7.& 19.*

Adstipulante, quod dum priùs Prouincia Lusitaniæ illum expræssè postulauerat per verbum *postulamus*, deindè re meliùs perpensa, postulationem illam retractauit per verbum, *non postulamus, Summar.num.19.* vbi *in litt.A.* quod idem P. Aduersarius fuerit etiam *à Regno exterminatus*, quia pluries Lusitaniam deserens, Romam se contulerat, absque suorum Superiorum licentia, ad inquietandam, & perturbandam Religionem.

Ecce itaque, quod vltra defectum postulationis P. Didacus, nedum non legit Theologiam per octo annos, vt ei fuerat primo iniunctum à Reuerendissimo P. Generali *d. Summar. num.4.* aut per sex annos, vt fuerat deinde ab eodem gratiosè indultum, *vt in contrario Summar.num.* 2. sed neque per quatuor annos in aliqua Vniuersitate, nec alibi, Idcircò non percipitur qua fronte prætendi possit, deberi Magisterium eidem, qui nec gaudet, nec gaudere potest gradu Præsentaturæ, & denegari per eum legitimo Superiori *debita obedientia*, prætextu huius litis, quę adeo insubsistens, & malè fundata recognoscitur.

Hinc poterant libenter omitti, quotquot dicuntur in ordine ad dubium illud, an P. Generalis possit conferre gradus Magisterij in Sacra Theologia Religiosis non postulatis à sua Prouincia, nam si hoc dubium non fuit concordatum, nec firmatum à D. Auditore Eminentiss. Ponentis, qui præcisè illud credidit *inopportunum, & incongruum*, non video, quo Iure possit illud, modò proponi, quia dubia ad hunc effectum concordantur, vt scilicet Partes certæ sint de re disputanda, nec rei præscriptę limites trascendant, & si aperiretur hæc via inutile esset stabilire, ac concordare dubia.

Quamplurima iudicantur super dubio non concordato, nec approbato coram Eminentiss. Ponente, seù eiusdem Auditore.

Et re vera incongruum erat, & inopportunum, vtpotè nimis generale, & dependens à particnlaribus circumstantijs Causæ priuilegij, & similis, quorum ratione passim Reuerendiss. P. Generalis dispensare valet, vt præcisè de Prouincia Lusitaniæ iustificatur *Summ.nu.* 20. Et in vniuersum de omnibus actis Capitularibus Ordinis ad eum mittendis pro illorum approbatione, vel immutatione auctoritate *sua æquiori prudentia facienda*, patet ex contentis *in Summar. num.21.22.& 23.* Et de facto acta omnia Capitulorum Prouincialium ad Reuerendiss. P. Generalem transmittuntur pro d. approbatione, vel immutatione, iusta suppetente Causa, & innumera allegari possent exempla, in quibus

P. Ge-

P. Generalis auctoritate sua suppleuit, dum postulatio fuit facta de minus idoneo relicto digniori, vel aliud simile grauamen in hisce postulationibus irrepsit.

Quæ tamen dicta sint ex abundanti in ordine ad memoratum dubium, quod remanet extraneum à pręsenti indaglne, nec potest hic decidi quatenus etiam fuisset subscriptum, & concordatum, cum Sac. hæc Congregatio expectet Partes in casibus parricularibus, non autem eas audiat super dubijs generalibus, & in abstracto, quæ solùm in eo, de quo quæritur regulari possunt à certo priuilegio in hac, vel illa Prouincia, & à qualitate postulationis secutæ fauore potiùs vnius, quam alterius Religiosi, in quibus terminis Reuerendiss. P. Generalis etiam præscindendo à postulatione prouidere potest, dùm sibi certò constat de idoneitate, & optima qualitate Viri promouendi.

Quare &c.

Augustinus Galaminus.

SACRA
CONGREGATIONE
Episcoporum, & Regularium

Emo, & Rmo D. Card.


COLLOREDO

PONENTE

Prouinciæ Lusitaniæ
Magisterij.

PRO
Reuerendiss. P. Magistro Generali
Ordinis Prædicatorum.

CONTRA
R. P. Didacum à S. Iosepho eiusdem
Ordinis.



Facti.

Romæ, Typis Reu. Cam. Apost. 1706.
Superiorum permissu.